

63.

**Beata Terminalia;**

Quae cum

*Foemina optima & virtutibus omnibus exculta,*

**ANNA CATHARINA GISYTZKIA,**

Viri

*Amplissimi atq; Clarissimi DOMINI*

**M. MARTINI BOEHMII,**

Professoris Gymnasii Thorun. meritissimi,

Conjux fidelissima,

In ipso termino diei xxii. Jul. A. cio dcccx.

*Pie in Christo obdormiens celebraret,*

die xxxi. Jul. ejusdem Anni

solennibus exequiis destinata,

*prosequi nonnullis Elegiis*

atque *supra* moestissimo Viduo

restari voluerunt,

**IN GYMNASIO THORUN.**

**DOCENTES.**

**THORUNII,**

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS.

TYPOGRAPHUS.

M. MARTINIUS BERTELIUS, P.R.

**O** quam vera mihi, Servator Sancte, locutus!  
O quam promissi vis memor esse tui!  
Tertius hicce dies, (sic terminus iste meorum:  
Amplius haud valeo sic numerare dies.)  
Tertius ille dies, ex quo sum carne resecta  
Agra, salutifero & Sangvine, Christe, Tuo.  
Ultimus ille dies, poteram quo accumbere templis,  
Extremus vitae cursus iterque meae.  
Tum succurrebas animae suspensa timenti  
Supplicia, & donans crimina cuncta mihi  
Spem confirmabas hujus, quam vivere coepi,  
Vitae. Vah quanto haec plena boni cunabulo  
Promissi! Quam funesto moerore levatum  
Permulcent animum gaudia grata Poli!  
Non rabies ferri, pestis non acre venenum  
Me jugulat, nullis concutior vicibus.  
Quare, mortales, ne pestis terreat ulla  
Vos, huc felici quitis abire fuga!

*Ita B. defuncta, aerumnis mundi hujus feliciter  
erepta, moestissimum Viduum liberosque relictos  
consolatur, interprete ex animo condolente,  
M. P. IAENICHIO, R.*

**P**raesidium vitae quaerunt formidine mortis  
Mortales, quamvis saepius invalidum:  
Quando dira lues quandam grassata per urbem  
Divulgat mortem, mille necatque modis;  
Et crudele necis fovea confundit in una  
Ingenium manes saepius innumeros.  
Cum sic incumbit caeli inclementia pulchris  
Moenibus, & fati turbo ferit populum;  
Sunt aliqui, servis qui splendida recta relinquunt,  
Ac humiles malunt incoluisse casas:  
Aut sylvas, hortos, villas, ripasque salubres  
Sufficiens vitae praesidium esse putant.  
In Medicis alii & celebri medicamine vitae  
Spem ponunt, Verum quod valeant nihil haec,  
Exemplis didicit quam multis Bohemia: quae dum  
Vixit, erat semper sponte parata mori.  
Hinc placide in domino occubuit; sed triste Lyceum  
Liquit, cui laetas dent pia fata vices!

*Tantum l. scr.*  
M. MARTINUS BERTLEFFIUS, P.P.

**T**ristia jam nostras regiones fata fatigant,  
Nosque fere quavis hora dolere jubet.  
Sed longe melior recreat fortuna Beatam,  
Quam mala nulla premunt, quam bona cuncta manent.  
Soletur saltem properato funere moestos  
Ac durum vulnus dextera dia levet!

*Imq. scripsit*  
HEINRICUS Würffel / Gymn. Coll.

**F**errea dum nos fata premunt in moenibus urbis  
Nostrae, dum solvit corpora tetra lues.  
Terra lues tollit quoque nunc atroce veneno,  
Confociamque rapit mors truculenta Tuam,  
Hinc nimium luges, magno saevoque dolore  
Confectus, sociam nocte dieque Tuam.  
Hinc fundis lacrymas in funere, Clare Magister  
Pectore concipiens, nil nisi triste Tuo.  
Et merito: nam clades est, amittere fidam  
Consortem thalami, quam pia vita probat. (\*)  
Praesertim, quando quis eam, quae fugerat omnem  
Hic scelerum pestem, peste petire videt,  
Nil ejus mentem tam diro vulnere pungit,  
Quam sociam funus triste videre suam.  
Sic quoque Tu iuste luges, Praeclare, maritam  
Hac etenim retro a crimine munda fuit,  
Utque adamas decorat digitum croceumque metallum;  
Sic hanc ornavit vita pudoris amans.  
Verum siste tamen lacrymas & flere maritam  
Cessato, potius pectora lata gere.  
A foeda Mundi lue nam purissima facta est  
Conjux in coelis gaudia grata fovens,  
Illa DEI fruitur dulci sine fine favore  
Deliciisque simul, quas Polus altus habet;  
Inlicitum vero Tibi sanet diva potestas  
Vulnus, quo vitam postea laetus agas.

(\*) *Juxta D. Nicolai Senecceri Theologorum quondam haud postremi ef-  
fatum: Nihil in mundo terribilius, quam videre conjugis dilectissimae  
funus conf. insimul Pl. Rev. Clar. nec non Doctiss. Dni, EPHRAIM  
PRAETORII, hujus Rev. Minist. Senioris & ad D. Mar. Pastoris  
Vigilantiss. conc. funebr. ante annum hic typis impress. cujus tit. No-  
tize Pflicht gegen Gott beim Absterben der Unsrigen. pag. 25.*

*Hac Cariss. Domino Magistro*  
*ευλοπόμεν. scr.*  
PHILIPPUS JACOBUS Bachlitz / C.G.

*Defuncta alloquitur Dn. Viduum.*

**N**on obii, quid fles? abii, prior Astra revisi,  
Cum Christo gaudens gaudia multa meo.  
Terra tegit corpus, virtus manet inclyta terris,  
Spiritus at cœli Regna beata colit.  
Ergo non mors est mea mors, sed janua vitæ,  
Hæc ubi cœlicolas gaudia mille manent.  
Hinc tibi parcendum lacrymis, charissime conjux,  
Vivo, ac æternâ prosperitate fruor.  
Mox veniet tempus, quando calor ossa reviset,  
Spiritus & rursus corpore junctus erit.  
Tunc omnes rursus conjunget fœdere firmo  
Ipse DEUS, clanget buccina quando Poli.

*Observantia contestanda gratia  
offerebat.*

J. S. C.

---

**I**n Domino sanctam qui sœvit ducere vitam  
Hujus se Domini protinus esse sciat,  
Cum placidè moriens lumen vitale relinquit  
Spiritus ac ejus tendit ad astra Poli:  
Sic Tua, cum nunc occubuit, Clarissime, Conjux,  
In Domino quoniam perpia vixit ea,  
Est etiam Domini Superum statione locata,  
In qua jam sanctâ jubila voce canit.

*His paucis mœstum atq; summe afflictum  
Cl. Dn. Magistrum erigere voluit  
Paul Dubbermann / G. C.*

---

**H**eu nunc peste cadit Tua, Vir Præclare, marita!  
Vitam, quæ longam vivere digna fuit;  
Provida sed mundi mala secula spernere quivit,  
Hinc potius Cœli suscipit illa bonum,  
Et nostros annos ridet mensæque diesque  
Et mundum temnit, singula vana dolens.

*b. p. adjecit*

JONAS BOGMUKOWSKI, Gymn. Coll.

